



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1634

De Ordine Commendationis animæ. V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40244

dicto ad Laudēs diei *Benedicamus Domino*, *Deo gratias*, statim eā dicuntur: nam *Fidelium anima*, pro fine Laudum, dicitur in fine Litaniarum, & utrisque deseruit.

14 Nulla est obligatio extra Chorum recitandi septem Psalmos prædictos, absolvente nos Pio V. in Bulla Breuiar. ab omni peccato, & obligatione de hac re; qui concedit Indulgentiam quinquaginta dierum qualibet vice recitantibus eisdem iuxta Rubricas Breuiarij. in Choro, si consuetudo vigeret eisdem recitandi, conferuetur.

15 Pro Litanijis separatim dicendis nulla est Indulgentia; sed obligatio in Litanijis maioribus & minoribus. qua de re vide *Sectionem 6. cap. 16. num. 3. pagina 128.*

16 Communior vsus Ecclesiarum Urbis est, quod (excepto Sabbato sancto & Vigilia Pentecostes) Cantores & Chorus eas dicant alternatim: in Litanijis maioribus, ad distinctionem à minoribus, alicubi Chorus reperit quæ Cantores integrè dicunt, vt in Sabbato sancto. qua in re standum est locorum consuetudini, & longior Processio congruè id requirit.

*De Ordine Commendationis
animæ.*

C A P. V.

1 **M**agni momenti, vnde pendet æternitas, est exitus animarum de suis corporibus; & idè cuiusque Sacerdoti, nedum Parocho, datur facultas commendandi animas Deo in hora mortis, & in transitu earumdem animarum. Vt autem quilibet Sacerdos ad manum habere queat, necessitate

præsertim vrgente, & Rituali (quod Parochorum est) deficiente, ad eadem Breuiarij additus est Ordo Commendationis animæ. extat in Breuiar. M. S. Vfus autem commendandi animas in eorum recessu est antiquior S. Gregorio, qui de eo meminit *Homilia 18. Euangel. 37.* Et de S. Ioanne Eleëmolyario ad morientes ventitante scribit Metaphr. *in eua. Vita*; à quo agonizantes, vt patet, benedicebantur: nam hic ritus Episcopalis benedictionis in obitu fidelium ante annum 840. erat in vsu, scribente Annonio *libro 5. cap. 19. de Gestis Francorum*, quod Ludouicus Pius Imperator moriens Diogenem Episcopum Metensem accersit, & ab eo benedictionem petit. Vnde S. Carolus Borromæus obtinuit à Gregorio XIII. *die 30. Decemb. 1580.* facultatem omnibus Episcopis Prouinciæ Mediolanensis concedendæ Indulgentiæ ægrotos, quos vel ipsi, vel eorum nomine alij visitauerint; tum vt ægroti benedictionem Episcopi diligentius procurent; tum verò etiam, vt ea reddatur ægrotis utilior.

2 Concordat noster Ordo cum antiquis M. S. excepta mutatione aliquorum Sanctorum in Litanijis breuius: quæ breues esse debuerunt, vt, discedente anima, sequentibus precibus magis proprijs eam Domino commendemus.

3 In Rituali Pauli V. præscribitur commendanti animam, vt induat Superpelliceam & Stolum violaceam, aspergat locum & infirmum Aqua benedicta, dicens: *Asperges me, &c.* & imaginem Crucifixi ægroti tradat osculandam, de quibus meminit Alcuinus *cap. antepenultimo*, vbi etiam monet,

monet, esse legendas ante morientem Christi Passiones ab Euangelistis scriptas. Et hic ritus quidem est antiquus legendi Passionem Christi coram morituris, ex Actis sanctæ Marthæ Virginis, quæ sibi legi, dum obiret, eandem curauit.

4 Oratio illa, *Compendo te omnipotenti Deo, &c.* tota ad verbum Epistola est, quam Petrus Cardinalis Damiani scripsit amico suo morienti: quæ habetur initio *Tom. tertij Operum eiusdem, reponenda in Tom. 1. lib. 8. Epist. 15. num. 150.* Quod item hoc loco dicitur de tribus atrocissimis tormentis S. Theclæ, illud confirmat Baron. in *Not. Martyrol. 23. Septembris, &c.* enumerat ignes, theatrum, & bestias, citatis SS. Patribus; sed non explicat, quodnam in teatro passa sit tormentum distinctum à beitarum faucibus. In *Annalibus anno 47.* explicat, eam tauris alligatam fuisse, vt diceretur. Nominati verò Theclam in agone mortis, sanctus Cyprianus indicat *Oratione pro Martyribus, & in Oratione in die passionis*; quem secuti sunt in hoc eodem ritu SS. Terentius, & socij, tum alij, vt scribit Baron. loco cit.

5 Ceterùm fax cum Cruce, præter lectionem Passionis Christi, mirificè iuuant in agone constitutum, ex instituto Apostolico; quæ affuere in obitu sanctæ Marthæ Hospitæ Christi, vt refert sanctus Antoninus *par. 1. tit. 6. cap. 20.* De Crucis effectibus coram moriente agit Tobias noster *par. 1. cap. 66. circa finem.*

6 Resp. *Sabuenite Sancti Dei,* est antiquum, & habetur in Antiphonario sancti Gregorij.

De Benedictione mensæ &
Itinerario Clericorum.

C A P. V I.

1 **Q**Uæ frequenter vsurpare decet Clericum in genere precum, ea collecta sunt in calice Breuiarij pro vsu faciliori totius Cleri. Inter hæc Benedictio mensæ, quæ manè fit & vesperi, opportunum hoc loco habet locum.

2 Originem habet à Christo, qui benedixit, antequam panes quinque distribueret turbis; & in vltima cæna benedixit, fregit, &c. Post cænam eandem Hymnum dixit, *Matth. 16.* id est Psalmum 113. *In exitu Israël de Aegypto,* vt docet Baron. anno 34. ex Rituali Hebræorum in Paschali cæna, quo, morem aliorum secutus, vsus esse creditur Dominus noster.

3 Si antiquiora quæramus, 1. *Reg. 9.* vbi legimus, *Benedicit hostiæ.* Chaldaus legit, *Benedicit super cibum.* & Daniel item *c. 14.* laudato Deo comedit cibum. Post cibum verò extat præceptum de gratiarum actione *Deut. 8. num. 10.*

4 Apostoli igitur imitati Christum docuere posteros Benedictionem mensæ, vt Paulus Timotheum *1. ad eundem cap. 4.* vt exponit locum illum Turrecrem. *cap. Non liceat. Dist. 44.* S. Athanas. *de Sermon. Vrgin.* Vbi, inquit, federis ad mensam, & inceperis frangere panem, ter eum consignans (hoc est signo Crucis) his verbis gratias age: *Gratias agimus tibi, Pater noster.* & cum surrexeris à mensa, rursum gratias agendo trinis vicibus dicas: *Miserator & misericors Deus escam dedit timentibus se. Gloria Patri, & Filio, & Spiritu sancto.*

5 Inter